

254.

Markgraf Dietrich beurkundet einzelne rechtliche Vorgänge bei Gelegenheit einer Zuwendung von 30 Hufen in den beiden Dörfern Glasau und Miltitz an das Kloster Altzelle. Vergl. No. 238 und 253.

Landding Schköhlen, 1218 Okt. 29.

Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 212. S., an gelbseidenen Fäden, verloren.

5

Ann.: Altzeller Haul. Vergl. Posse, Lehre von den Privatwrk. 21, 83 Ann. 2, 94 Ann., 121 Ann. 4.

In nomine sancte et individue trinitatis. Theodericus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio Celle sancte Marie in perpetuum. | Ut eorum, qui deo sedulis famulantur obsequiis, paci atque securitati sollicite nos invigilare et presentes et secuturi quique cognoscant, universitati eorum significandum duximus, quod cum fratres nostri de Cella sancte Marie apud | cognatos nostros marchionem Cûnradum et comitem Theodericum predium in Ranstede pecunia comparassent, ipsum postmodum predium apud cognatum nostrum Fridericum comitem de Brene redimere sunt compulsi ita, ut alios nichilominus | mansos numero xxx, decem videlicet in Glasowe totidemque in alia Glasowe, sed et decem in Miltiz, quos antea non habuerant et comitis ipsius erant, fratres prefatos comparare 15 oporteret et in hiis omnibus nostrum accommodare consensum nobis non suffecit, nisi ad perpetuum ipsius cenobii profectum alios et xxx mansos, qui in supra dictis tribus villis adhuc tytulo proprietatis nos contingebant, cum omnibus, que nostri iuris inibi fuerant, fratribus illis tum pro anime nostre remedio, tum etiam pro certa taxatione pecunie venderemus adiectis insuper omnibus, que in predicto predio Ranstede ad nos respiciebant, 20 ita ut a patronatu ecclesie, que in ipsa villa et ex toto cesserimus, ipsamque donationem cum consensu supra dicti comitis F[riderici] de Brene, quoniam alium tunc temporis non habebamus heredem, in Grimme claustro ipsi mediante Ottone monacho de Cella xii. kal. iunii presentavimus. Verum quoniam Hertwicus de Ranstede itemque Hertwicus de Hallo, sed et Theodericus de Litelawe in prescriptis villis aut quidam aut singuli, suis 25 gaudebant inbeneficiati partibus, omnia hec ab ipsis cum eorum redemimus bene placito, ita ut omni iuri, quod inibi habere poterant, ex integro renunciaverint, Hertwicus de Ranstede atque Theodericus de Litelawe in Grimme idus augusti, Hertwicus autem de Hallo in Lipchz xvi. kal. septembris ista consummarunt. Et abdicationi quidem, que facta est ab Hertwico, testes affuerunt, quorum hec sunt nomina: Heinricus et Giselbertus 30 capellani. Cûnradus plebanus de Rocheliz. Hermannus de Sala. Godefridus et Ripertus mercatores de Lipz. Hildemarum de Vthusen. At vero resignationi Theoderici, que ipso die facta est, isti affuerunt testes: Albertus burgravius de Aldenburch. Albertus dapifer. Albertus de Stenbach. Arnoldus de Zlowen. Gisclerus villicus de Lipz. Porro Hertwicus de Hallo xv. kal. augusti coram nobis in Lipz sponte resignavit, cuius rei 35 testes sunt isti: Wernherus prepositus de Lipz. Sybodo de Khoync. Hildebrandus de Baruth. Theodericus de Achin. Hartungus de Rideburch. Heinricus de Morungen et alii quam plures. Ceterum in prima representatione cum bona eadem in Grimme de consensu Friderici comitis prefato cenobio contradidimus, testes affuerunt, qui supter sunt